

HX quo itaq; è premiffis Clariffimi illius *MAGNI* literis intelligam, effe in Italiã Magnificos quosdam & præcellentes viros, qui *Astronomicis* rebus addicti, *Organa* etiam ad noſtrorum imitationem parare, atq; *obſervationes* Corporum *Cæleſtium* his ſubtiliter perficere non intermittendum ducant, eſt ſanè id mihi auditu quàm jucundiſſimum. Nec dubito, quin eximia utilitas ad *Artem* *Aſtronomicam* ampliandam hinc promanare queat: ſiquidem in re-ctiore quàm nos, habitent *Sphæra*, & ſolertiã præditi ſint inſigni; opibusq; inſuper valeant, quibus hoſce ſumptus facile ſuſtineant. Optarem verò ea quæ hæcenus ab illis *Cælitus* deprehenſa ſunt, mecum mature communicari; quod nunc commodius fieri poſſe exiſtimo; ſiquidem in *Germaniã* degam, atq; hoc tempore prope *HAMBURGVM*, *Emporium* celebre, quod cum *Italis* quoq; plurima habet commercia, in *Arce* quãdam *RANZOVIANA* ſubiſtam: aut etiam, ſi alibi fortè poſthac in *Teuthoniã* fuerim; id quicquid erit facile me inveniãt.

Potiſſimum verò id quod *Illuſtriſſimi* *VENETIARUM* Magnates, (uti ex literis, quarum modò mentionem aliqualem feci, percepi) ante paucos *Annos* *Heroico* & *liberali* propoſito conſtituerant, ut executioni, ſi hæcenus ob aliquas intervenientes remoras (uti nonnunquam fit) intermiſſum eſt, etiamnum mandetur, quibus poſſum præcibus, animoq; devoto exoptarem: quò nimirum aliquis mitteretur juvenis harum rerum intelligens & gnarus in *Urbem* *ÆGYP TI*, olim *ALEXANDRIAM*, nunc *ALKATRAM* dictam, qui iſthic ante omnia elevationem *Poli* tam ex *Sole*, cùm in ipſã *Meridie* eſt, quàm *Stellis* *Meridianum* quoq; tam verſus *Auſtrum* quàm *Boream* tranſeuntibus, accuratiſſimè obſervaret, adhibito motu *Solis* à nobis correcto, noſtrãq; fixarum verificatione: idq; eam præſertim ob cauſam, ut certò conſtare queat, an *Poli* ſublinitas longo & vi tractu aliquantulum nutet, nec nè: ita ut *Terra* ſinguli *Horizontes* non ſemper eandem poſt multa ſeculorum intervalla ſentiant: quemadmodum nonnulli eximii *Mathematici* etiam inter ipſos *Italos* non levis indicii ſuſpiciantur: tùm quoq; ut ea, quæ ſummus ille *COPERNICUS* circa intricatum *Axis* *Terreni* motum, ut mutationem obliquitatis *Eclipticæ* ſalvaret, ingenioſè maginatus eſt, ſic etiam quodammodò examinari queant. Quamvis (ut dicam, quod res poſtulare videtur) etiam manente perpetuò eãdem exactè *Poli* ſupra quemvis *Horizontem* *Altitudine* ejus hac in parte *Hypotheſis* conſtare poſſit, modò non alia obſtarent: Quamvis de his nunc ſubtiliter diſputare, meamq; cenſuram interponere noſtri non ſit inſtituti, neq; locus patiatur. Hæc autem in *ALEXANDRIã* præcipue factitanda experiundaq; cenſerem, quòd quàm maxime credibile ſit, *PTOLEMÆUM* principalem in *Aſtronomicis* *Artificem*, loci ejus in quo vixit, latitudinem, ſeu, quod idem eſt, *Poli* ſublinitatem quàm exactiſſimè olim nimirum ante quindecim circiter ſecula demenſum fuiſſe: ita ut unius vel alterius ſcrupuli non lateat error, quin 34. *Gradus* deficientibus ſolummodò duobus *Minutis* ea adimpleat: quod & quidam ex ejus antecęſſoribus adinvenerunt. Nam quæ de aliis *Poli* vel *Æquatoris* inclinationibus, ab ipſo in *Geographicis*, vel etiam alibi ab aliis referuntur, fide exactã carent: & ut plurimum ſecundum æſtimationem lato modo ſumpta ſunt: quemadmodum & in affixis *Sideribus*, quæ in uno aliquo *Horizonte* pro majore parte ſingulis *Annis* viſuntur & obſervari poſſunt, non ea, quæ requirebatur, ſecundum longitudinis & latitudinis dimensionem adhibita eſt diligentia. Multò igitur facilior lapſus contingere potuit in *Terreni* *Orbis* locis non ita patentibus, & obſervationi in uno aliquo ſitu obſecundantibus. Neq; etiam, quæ veteres in præcipuarum quarundam civitatum latitudinibus rimandis ex proportione *Gnomonis* & *umbra* prodiderunt, ad amiſſim ritè ſe habere credibile eſt; ſiquidem *umbra* extremitas non ſatis præciſè pateat, & longiſſimum oporteat eſſe *Gnomonem*, exactiſſimeq; ad ſuum planum diſpoſitum, qui talia in ipſo *Minuto* pandat. Taceo, quod *Æquinoctialia* momenta, circa quæ hanc pragmateiam ut plurimum exercuerunt, illis non tam præciſè cognita fuerint, atq; hæc poſtulat operatio. Cumq; *Sol* circa *Æquinoctia* citiſſimè *Declinationem* variet, pronum erat aliqualem hac in parte committere deviationem, licet ſenſibus oculorum non admodum obviam.

Quare